



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Serenissimis Illustrissimisque Principibus Ac Dominis, D. Maximiliano,  
Bohemiæ ac Ungariæ Regi: Ac D. Ferdinando, Juniori, Germanis fratribus,

...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**



SERENISSIMIS ILLUSTRISSI-  
MISQUE PRINCIPIBUS

DOMINIS,

D. MAXIMILIANO,  
Bohemiæ ac Ungariæ Regi :

D. FERDINANDO,  
Juniori, Germanis fratribus, Potentissimi  
Romanorum ac Germaniæ Cæsaris, Divi FERDI-  
NANDI, &c. filiis, Archiducibus Auftriæ, Dominis ac  
Mæcenatibus suis clementissimis,

S. D.

Et omnem ex animo precatur felicitatem

GASPAR BRUSCHIUS, Egranus, Poëta  
Laureatus & Comes Palatinus.



Ensis erat, noni qui nomine præditus Imbris  
Principium hiberni frigoris esse solet.  
Ejus agebatur lux ultima : nobilis illa  
Et multo Divum numine plena dies,  
Qua Deus ingressus mortalis viscera carnis,  
In Solymorum urbis mœnia venit ovans.

Et qua Christicolis celebratur Apostolus ipse  
Andreas, meritis & pietate gravis.

XX

Non.

Ultima  
Novembrii  
D. Andrea  
& Adventu  
tui Domi-  
nico sacra.

Bruschij

Chronolog  
Monasteria  
na German  
S. III



*Festum So-  
dalitatis  
Aurei Vel-  
levis.*

Non Cælo modò festa dies, sed & inferiori  
Huic orbi, & Regnis, Carole Quinte, tuis.  
Nam Tibi non falso conjuncti fœdere Reges  
Atque Duces ipsa hac luce coire solent:  
Atque unâ tecum revereri Numina cœli,  
Inque sua æternum vota vocare Deum.  
Velleris Aurati sancitum fœdus, ut hac cum  
Majestate Tua sic regat atque tegat:  
Terrori ut possit sceleratis hostibus esse  
Unio tot Regum nobiliumque Ducum:  
Qui caput Imperii Te, Carole Cæsar, & orbis  
Augustum Dominum non dubitanter amant.  
Jam decimam verò secum Sol traxerat horam  
Susceptæ in medio tramite penè viæ:

*Carolus V.  
Imperator.*

Quando pius Cæsar, procerum stipante caterva,  
Ingreditur templi limina sacra sui:  
Augusti mirò redimitus lumine vultus,  
Quo Divos ipsos Numinaque ipsa refert.  
Vestis pulla nihil pomposum habet atque superbum  
E solo collo parvula pendet ovis:  
Auratum terrâ quod quondam ex Colchide vellus  
Medeæ rapuit fortis Iason ope.

*Ferdinan-  
dus Rex  
Romano-  
rum.*

Subsequitur frater Fernandus, & ipse profecto  
Sub vestitu humili cor quoque mite gerens.  
Omnibus eximie clarus virtutibus illis,  
Quascunque in summis Regibus esse decet.

*Philippus  
Rex Hi-  
spaniarum.*

E cujus vultu gravitas elucet, & ipsa  
Majestas, quæ tot Regna, tot arma regit.  
Proximus huic invicti est Cæsaris ipse Philippus  
Filius, Hispani Rexque decusque soli.  
Quem Tagus, & late dominans miratur Iberus:  
Cui tot debentur Regna, tot imperia.  
Cum quo fœdera nunc faciunt & Rhenus & Ister,  
Et quicunque Duces flumina tanta colunt.

Pone



Ponè subit decus Austricæ prænobile stirpis,  
 Carolus: o quanti numinis instar habens,  
 Quo puero nostra ista nihil formosius ætas,  
 Nil magis Augustum secula nostra vident.  
 Forsitan Imperium huic debetur totius orbis:  
 Tantus & in puero lucet ubique decor.  
 Tanta est Ingenii vis, tanta modestia vitæ,  
 Tam prudens animus: tantus in ore pudor.  
 Hunc Dux illustris, Longa Fernandus in Alba,  
 Clarus ut ingenio, sic quoque Marte potens:  
 Ac Dux Albertus sequitur, quem Norica tellus,  
 Isarus & Dominum prædicat esse suum.  
 Ac plures alii, quorum nec nomina novi,  
 Nec (si nõssem) istæc Musa referre queat.  
 Hi templum ingressi magno cum Cæsare, rebus  
 Intenti solito more fuere sacris.  
 Unius è vultu pendentis Cæsaris omnes,  
 Quem sacrosancti numinis instar amant.  
 Dumque illic ritu celebrantur Sacra decoro,  
 & facit officium Musica turba suum,  
 Ipse sedens prope cantorum subsellia, somnum  
 His oculis potui non prohibere meis.  
 Irrepsit subito præter mea vota, sui que  
 Me totum juris fecit & arbitrii.  
 Illic visa mihi est astare Virago decora,  
 Quæ (bene si memini) blanda Thalia fuit.  
 Utque meis procul à studiis, solitoque labore  
 Ocia me vidit desidiosa sequi,  
 Talibus ingressa est sermonibus obvia vati  
 Nympha suo, faulrix rebus amica meis.  
 Quid facis hîc, Bruschi, & somnos sectaris inertes,  
 Quos hæc conciliant murmura forte tibi?  
 An prorsus tibi nil studiorum est atque laborum  
 Amplius? illorum ut nuper acervus erat.

) ( 2

Si

Carolus  
 Austrius.  
 Ferdinand  
 Regis filius  
 natus  
 mus.

Ferdinan  
 dus Dux  
 Albanus.

Albertus  
 Bavarus

Bruschi

Chronolog  
 Monasterio  
 sua Germa  
 S. III



Si tantum est super à scriptis annalibus orti :  
 Est aliud, quod forte beare potest.  
 Jam veniunt Regis Fernandi pignora chara,  
 Austriaca illustres nobilitate Duces.  
 Maximus occiduis venit Æmilianus ab oris  
 Per tricoroniferi regna opulenta Patris  
 Accelerat veteri Fernandus ab urbe Prahenfi:  
 Et Patris intuitu gaudet uterque sui.  
 Hos juvenes omnis miratur concio Regni  
 Cœlestis : favet his optima quæque Deus.  
 Istis Europæ debentur maxima Regna :  
 Imò etiam totum forsitan Imperium.  
 His nihil æque augustum aut nobile nunc habet Orbis,  
 Veræ et si is multum nobilitatis habet.  
 Ergo operæ facies precium, nec inutile spero,  
 Excipies si aliquo carmine utrumque tuo.  
 Ut Pater ex animo vates complectitur, ipsi  
 Sic gnati facient hoc quoque forsitan idem.  
 Ergo aude hos pigros oculis excludere somnos,  
 Atque hanc mollitiem desidiamque fuga.  
 Scis, scriptum quid Homericus ille reliquerit heros :  
 Cujus in hac vita te meminisse decet.  
 Is vetat integras somno consumere noctes:  
 Nedum ipsum medio continuare die.  
 Ergo age, surge : opus aggredere idque Poëta, quod ista  
 Tempestate equidem è re fore spero tua.  
 Debes Fernando Regi non hoc modo, multis  
 Ipsius & meritis muneribusque piis.  
 Sed totum potius te ipsum quoque, quicquid & in te est,  
 Utile quod tantis Regibus esse queat.  
 Hæc mihi visa loqui est Dea : seu fuit illa Thalia,  
 Seu generosa hujus Calliopea soror.  
 Suggestum interea doctus conscenderat heros,  
 Regibus exponens dogmata sacra piis.

*Maximilianus, Bohemicus & Ungaricus Rex.*

*Ferdinandus, Archidux Austriae.*



Is patriæ pro more suæ dum vociferatur,  
 A Somno fum sic excitus ipse meo.  
 Surgo, auscultaturus in Oratoris honorem,  
 Quem tota applausu Cæsaris aula probat.  
 Sed linguæ ignarus, dum nil intelligo profus,  
 Ad tectum redeo protinus inde meum.  
 Hæc sumtis ubi mox tabulis, ita ludere cœpi,  
 Ut passa ingenii est crassa Minerva rudis.  
 Quis vero non gaudeat, adventare Deorum  
 Seminibus natos sanguinibusque Duces?  
 Te, Dux Æmiliane, ô Maxime & optime Princeps,  
 Et te, qui Patris nobile nomen habes.  
 Quis? nisi cui non est circa præcordia sanguis  
 Integer, aut cui mens non satis apta data est.  
 Ut Patre nobilior nihil est, ita natus uterque  
 Nulla non Patrem laude referre studet.  
 Ut Pater est pietatis amans, studiosus & æqui:  
 Sic verè utrumque hoc natus uterque colit.  
 Utque in equis Patrum est bona virtus inque juvenis:  
 Sic ratione istic qua, rogo, abesse queat?  
 Suffragabitur huic laudi tota Historiarum  
 Bibliotheca, Duces quæ canit Austriacos.  
 Omnibus attribuens laudem pietatis & æqui,  
 Barbaricæque animos à feritate procul.  
 Sic vero nota est utriusque modestia vestrum,  
 Quæ late Lycus, & Rhenus, & Ister eunt.  
 Ut se certatim Vobis Germania tota  
 Offerat, & Vos ceu numina bina colat.  
 Omnibus est tantum Rex MAXIMILIANUS in ore:  
 Hunc uno studio virque puerque canunt.  
 Et quia nunc redis Hispanis optatus ab oris:  
 Qui penè es seclum visus abesse bonis.  
 Di, quanta omnibus in Germanæ partibus oræ  
 Copia læticiæ se quoque ad astra levat!

*Apostrophe  
 ad Princi-  
 pes Maxi-  
 milianum  
 & Ferdi-  
 nandum.*

Bruchij

Chronologi-  
 Monasterio

na Germaniæ

S. III



Quantus ubique favor populi, Juvenumque senumque?

Omnibus exurgunt gaudia quanta locis?

*Bohemia.*

Regna Bohemorum findunt Moltavus & Egra,  
Egra, ad quem sita stat Patria chara mihi.

Hi nunc uberiore fluunt etiam agmine, gaudent  
Tantopere Dominum non procul esse suum.

Jam regni fert ipsa sui Praha vasta coronam,  
Augusto capiti, MAXMILIANE, Tuo.

Sic Moltavus & Egra suas monuere puellas,  
Ut tibi certa parent, utque tapera parent.

Qualia fecerunt Nymphæ Babylonides olim,  
Cumque viris Phrygiæ cum puerisque nurus.

Quin & Pannonis ora, & Savus, & ipse Tibiscus,  
Major & omnibus his Ister, in alstra canunt.

*Ungaria.*

Incolumemque suum Regem adventare, Deosque  
Propitios, gaudent vocibus atque manu.

Te veniente, etiam nuper se Turcica pubes  
Ausâ est Pannoniis opposuisse viris:

Quod quia cessit ei satis infeliciter, idque  
Te vertente oculos in tua Regna tuos:

Nos inde admoniti Te vaticinamur eundem  
Mox fore, qui bello Turcica regna premes.

*Bonus*

*Omen.*

Eripies Geticoque celer sua scepra tyranno,  
Qui nobis nusquam non movet omne malum.

Hoc tibi promisit fortassis & ipse Tibiscus,  
Dum Passam nuper devorat inque fuga,

Teque ita non vano excipere est dignatus honore,  
Te Regem & Dominum, MAXMILIANE, suum.

Quo salvo redeunte, etiam sua pristina virtus  
Pannonibus, sanguis Martius atque redit,

Conjuncta qui nunc hostem virtute laceffunt,  
Amissumque volent mox reparare decus.

*Votum.*

Sacra Panomphæi faxit clementia Cæli,  
Et velit ipse regens omnia nostra Deus,

Ne



Ne fiet infelix aut irritus optimus iste  
 Conatus populi, Pannonis ora, tui.  
 Pugnent sub clypeo Jovis omnes, efferus hostis  
 Invisus quibus est noster is atque Dei.  
 Pugnent incolumes & sint sine vulnere, & omnes  
 Victores veniant rursus ad ora patrum:  
 Ut monstrare domi sua fortia prælia possint,  
 Virtutemque Dei tollere ad astra sui,  
 Qui non sit passus succumbere turpiter illos,  
 Spes quibus in Dominum non fuit ægra Deum.  
 Qui se magnanimis sunt ausi viribus hosti  
 Objicere, in patriæ commoda vera sua.  
 Ut sine lite domi, tranquilla in pace doceri  
 De Christo rectè tota juventa queat:  
 Et vera Pater æternus pietate colatur,  
 Ac studiorum iterum floreat omne decus.  
 Istorum omnium erit tantorum causa bonorum  
 Adventus felix, MAXMILIANE, tuus.  
 Cui merito applaudit Germania nobilis, imò  
 Quæcunque est Christum turba professa Deum.  
 Nos equidem nihil his jucundius hausimus unquam  
 Auribus, hac licuit dum mihi luce frui,  
 Quàm quod diceris Hesperis ex urbibus ipsa  
 Ad dulcis patriæ regna redire tuæ.  
 In quibus ex animo, & non ficta mente triumphat  
 Dives inopsque simul, virque puerque simul.  
 Nec locus est ullus Germanis, arbitror, oris,  
 Qui non adventus flagret amore tui.  
 Cæsaream nam sive oculos detorqueam in aulam,  
 In Septem Imperii sive Theatra Virum:  
 Principis aut videam penetralia sacra Philippi,  
 Aut aliorum etiam tecta superba ducum:  
 Nil nisi gaudia, læticiam, pulchrosque triumphos  
 Aspicio ob reditum, MAXMILIANE, Tuum.

Omnes

Studia pa-  
 cy.

Brulohij

Chronolog  
 Monasterio  
 in Germa  
 S. III



Omnes tota tibi pandit Germania portas,  
 Teque suum eximium gaudet adesse decus.  
 Et quæ nuper erat lugubribus obsita pannis,  
 Jam volet in reditu mundior ire tuo:  
 Exceptura aliquod veluti te numen amicum,  
 In quo spem posuit non male docta bonam:  
 Scilicet hunc ipsum Te fortem Heroa futurum,  
 Quem recte armârit Turcica in arma DEUS.  
 Quem velit in patriam victorem aliquando redire,  
 Missis Bistoniis sub juga nostra Getis.  
 Utque alias urbes taceam, quas Teutonibus ora  
 Innumeras ut habet, sic bene propitias,  
 Non modò, MAXMILIANE, Tibi, sed & omnibus ipsis  
 Fratribus Augusti nobilibusque tuis:  
 Solum Augustana civem videamus in urbe,  
 Quantus in hoc favor est, quanta cupido Tui?  
 Non mihi, si plures Divùm daret optio linguas,  
 Pro meritis satis hæc enumerare queam,  
 Quanta locis sit in omnibus expectatio vultus  
 Clementisque Tui, magnanimique Tui?  
 Quanto te studio velit omnis turba videre,  
 Cum Nymphis matres, cum puerisque senes.  
 Urbs hilarem se tota tibi clarissima præbet,  
 Quæ tibi monstrat opes officiosa suas.  
 Quin Lycus ipse senex jam Te veniente per urbem  
 Est visus mediam lætior ire mihi.  
 At quantum Pater ipse Tuus FERNANDUS, in urbe  
 Gaudeat hoc reditu, MAXMILIANE, Tuo:  
 Quanta relligione DEOS inclamet, & ipsis  
 Devoto grates pectore totus agat:  
 Quòd Comites Tibi se dederint terræque marique  
 Tam longæ omnino difficilisque viæ:  
 Quod fortunârint tibi conjugiumque domumque,  
 Et reditum dederint in tua regna bonum:

Id vēr



Id vero exprimere est præclari alicujus Homeri,  
 Fœcundo cujus gurgite Musa fluat.  
 Ut nihil omnino est ipsi Techarius uno,  
 Sic habet hoc reditu charius ipse nihil.  
 Quicquid in hac vita gratum fuit hæcenus illi,  
 Id fordebit ei Te veniente modo:  
 Tu Patri nunc vera eris & perfecta voluptas,  
 Nec Patri tantum, fratribus imò magis.  
 Percontabuntur qui de regionibus ipsis,  
 Quas tua viderunt lumina pulchra modo:  
 Per quæ rura Tagus, per quæ fluat altus Iberus,  
 Per quæ Bætus, Anas, Durius atque ruant.  
 Quæ tot regnorum series? qualisque per urbes  
 Sit facies rerum? quis status omnis ibi?  
 Qualis mundiciæ, num nostris consona terris?  
 In quali jaceat Barfoliona solo?  
 Aut qua fortuna claras tot videris urbes,  
 Gallia quas, pugnax quas Latiumque tenet?  
 Quæ Tuus audiat ut frater FERNANDUS, ad urbem  
 Hanc quoque læticia plenus ovansque venit.  
 Austriacæ dominus FERNANDUS maximus oræ,  
 Quem modo Moltavus, quem Praha vasta tenet.  
 Ille Bohemorum populo qui præsidet acri,  
 Fortibus atque viris, prisca Libussa, tuis.  
 Quem mox regna gubernaturum Hispanica dicunt,  
 Quicquid & occiduus spectat Olympus apum.  
 Cui venienti ad Te dubio procul obvius ibit  
 Immensus Procerum nobiliumque chorus.  
 Ut Tibi (ni tacitus venisses) isset ab urbe  
 Obvia magnanimum longa caterva Ducum,  
 Quæ nullum Tibi non studium promittit, & offert  
 Se, suaque imperiis cuncta parata Tuis.  
 Sed, quo te FERNANDE modo, quo carmine dicam?  
 Qui Patre magnanimo non eris inferior:

XXX

Flumina  
 Hispania-  
 rum.

Bohemia:  
 Praha e-  
 nim caput  
 regni est  
 per quam  
 defluit Mol-  
 tavus.

Apostrophe  
 ad Ferdi-  
 nandum  
 Archiducem  
 com.

Aut

Brucolij

Chronologi-  
 Monasterio  
 na Germa-  
 S. II



Prage An-  
no 1550.

Aut quibus excipiam numeris te? his scilicet ipsis,  
 Quos Tibi Razanâ nuper in arce dedi:  
 Cum Te non tantum prandentem sæpe viderem;  
 Ut vidi Patrem hac nuper in urbe Tuum:  
 Sed medio certare foro, & concurrere in armis  
 Cum ducibusque tuis nobilibusque viris,  
 Quos & Pannonis ora & terra Bohemica claros  
 Militiâ, & fortes prædicat esse manu.  
 Plebis ubi & Procerum in te unum conversa fuerunt  
 Lumina, quæ verus urbs tota Prahensis alit.  
 Di, quibus amplexa est Te tota favoribus illa,  
 Quæ Patri est nuper subjugata Tuorum?  
 Vix ita Roma patris quondam studiosa Quirinæ  
 Exiit, Augusto aut officiosa suo.  
 Unde mihi facile his licuit rationibus uti,  
 Te vere charum civibus esse tuis.  
 Et non immerito, nam qua pietate Parentes,  
 Qua virtute Tuos non etiam ipse refers?  
 Mitis es & clemens. Dedit hoc Domus Austria Vobis,  
 Omnibus ex ista stirpe locoque satis.  
 Hinc & amabilis es, uelut hi quoque ubique fuerunt  
 Omnibus accepti fortibus atque bonis,  
 Posteritas Vos quorum estis, Vos lumina terræ,  
 Augustum quibus hic nil magis Orbis habet.  
 Fortis es; hoc Pater, hoc proavique atavique dederunt  
 Omnes armorum & Martis honore graves.  
 E quibus enasci nisi forte, quid obsecro; vere  
 Invicumque aliquid, quid potuisse putas?  
 Sed quoque doctus es, & linguas Tibi discere plures  
 Ad Patris emplar maxima cura fuit.  
 Imprimis Latias veneraris amasque Camœnas,  
 Communis quæ laus cum Genitore Tibi est:  
 Qui veluti linguam præclare intelligit, ipsa  
 Quæ solita est quodam maxima Roma loqui:

Rex Ferdin-  
 andus La-  
 tina lingua  
 studiosis-  
 mus.

Sic



Sic nulla est & gratior atque frequentior ipsi,  
 Quam lingua, in qua olim Roma diferta fuit.  
 Quæ quo rarior est hoc nostro tempore virtus  
 Regibus in nostris principibusque viris,  
 Hoc majus decus & majorem in Patre meretur  
 In victo laudem magnanimoque Tuo,  
 Qui non otia iners est desidiofa sequutus  
 Resve leves, quæ nil utilitatis habent,  
 Sed degustavit nullas non Palladis artes,  
 Et quicquid veteres personuere sophi,  
 Unde ipsi imbibita est annis sapientia primis,  
 Augusto qualem Cæsari inesse decet:  
 Qua sic tot regnis, tot præsidet urbibus unus,  
 Prudenter nil non & sapienter agens,  
 Ut prisca facile conferri totius orbis  
 Principibus, summis Regibus imò queat,  
 Quos venerantur adhuc meritis hæc tempora nostra  
 Laudibus, & deinceps omnia secula canent.  
 Annumerari his ut possitis Vos etiam olim,  
 Annumerabitur his vester ut ipse Parens:  
 Omnibus, ut facitis, studiorum huc tendite nervis:  
 Ille etiam sic Vos ipse manebit bonos,  
 Quem prisca præclare ut consequerentur, honestum  
 Nil non audebant magnanimumque, duces.  
 SED Vos Augustana venire ad Mœnia lætos  
 E regnis vestris gaudet ut omnis homo:  
 Sic quoque ut utile sit, felixque hoc insuper ipsum  
 Et Patriæ & Vobis, omnibus atque bonis,  
 Officiosa omnes Germani voce precamur,  
 A summo oprantes id genitore DEO,  
 Ut Vos & regat, & nunquam non excitet acer  
 In laudem sacri nominis ipse sui:  
 Consilia omnia Vestra ut dirigat omnibus horis  
 Ad conservandum pacis in orbe decus,

)( )( 2

Ad

Excipiun-  
 tur princi-  
 pes.

Bruchhij

Chronolog  
 Monasterio  
 sua Germani  
 S. III



Ad patriæ sic augendas atque amplificandas  
 Res omnes, quarum Vos decet esse Patres:  
 Ut verè Vos Germano de sanguine natos  
 Austriacæque domo secula cuncta sciant,  
 Sit felix Istro, sit faustum atque utile Rheno,  
 Quod Vos intra se Rhenus & Ister habent.  
 Sitque salutaris Patriæ præsentia vestra,  
 Præsentem quæ Vos esse triumphat ovans.  
 Profit ad ornandas præclare arasque focosque,  
 In quibus est aliquid forsân ubique mali,  
 Quo benè sopito, redeamus in omnia præca  
 Fœdera, amicitiam scilicet inque bonam:  
 Germano quicumque sumus de sanguine nati,  
 Seu nos Rhenus habet, sive etiam Albis habet.  
 Et faciamus id in Christi salvantis honorem,  
 Cujus nos omnes turba professæ sumus.  
 Est aliquid rixarum? ut fortè est, cesset id, atque  
 Pax redeat, pacis surgat ubique decus.  
 Sic erit ipsa etiam nobis clementia cœli  
 Mitior, & paci qui favet ipse DEUS.  
 Sic invicti erimus tutique à fraudibus hostis,  
 Qui nobis iterum bella minatur ovans:  
 Et nunc imperiosus ad altum fulminat Istrum,  
 Atque novas fraudes rursus, ut ante, struit.  
 Hoc decus, hoc ornamentum suadete parati,  
 Ut facitis: patriis & reparate focis.  
 Nulla potest aris præstari gloria major,  
 Nulla focis: quam si pax repararetur eis.  
 Pace urbes florent pagiæque & pingua rura:  
 Musarum studia & munera pace vigent.  
 Pacis at immitis, crudelis & impius hostis  
 Evertit Mavors cuncta furore suo,  
 Non pagis parcens, non urbibus: imò nec ipsis  
 Divorum templis, ignibus atque sacris,

Exhortatio  
 ad instaurandam  
 pacem.

Commoda  
 pacis.

Incommoda  
 belli.

Pacem



Pacem igitur, sed iniquam etiam præponite bello:  
 Bello, quod vobis creditur esse pium.  
 Ornamenta eritis sic verè & lumina mundi,  
 Et vestrà Austriacâ Numina digna domo.  
 Sic Oriens Vos, sic Occasus honoret & omni  
 Vos pietate potens Auster & Arctos amet.  
 Sic se submittant Vobis regna omnia mundi,  
 Casura ad vestros regna aliquando pedes.  
 HIS ego gratari reditum Tibi, Maxmiliane,  
 Optavi numeris, Rex animose, meis:  
 Et tali sum te excipere ausus carmine, fratrem  
 Fernandumque Tuum, carmine nempe rudi.  
 Ex quo nil aliud si disces, hoc tamen inde  
 Cognosces, quo te Rhenus amore colat.  
 Rhenus & Ister & ipse Tuus Moltavus & Egra,  
 Et qui Francorum Mœnus inundat agros:  
 Noricus & Nabus, omnibus & Tibi charior Oenus,  
 Ad Pontem cujus diceris esse fatus.  
 Imò Almonus, Ilerque, Lycusque & Vinda, Visurgis  
 Cum vicino Albi, cumque potente Salo.  
 Pegnesusque senex cum Sala & divite Hiera,  
 Quique inuit hospitium, Rhene, Mosella tuum.  
 Hinc disces, qua te pietate Tuumque Parentem,  
 Torum habeatque Tuum quanto in honore genus,  
 Quantopere rediisse suum sibi Maxmilianum,  
 Gaudeat omnibus in Teutonis ora locis.  
 Lætiâ cujus non jam vacat angulus ullus,  
 In quo hominum saltem turba aliquanta lateret.  
 Tu, Rex, officium clementer id accipe nostrum,  
 Et virtute quoque hac Patrem imitare Tuum.  
 Hactenus utque facis, Musarum limina & aras  
 Ac studia æterna religione fove.  
 Sic Te verus honos, sic gloria vera manebit,  
 Quam Tibi nulla potest unquam abolere dies.

XXX 3

SED

Philosophij

Chronologia  
 Monasteria  
 in Germania  
 S. III



*Dedicatio  
operis huius*

*Argumentum  
operis.*

*Respondet  
calumniato-  
ribus hu-  
ius operis.*

*Utilitas  
huius o-  
peris.*

SED ne Carmine Vos saltem excipiamus inani:  
 Addidimus scriptis versibus istud opus,  
 In quo templorum ( quæ turba Monastica late  
 Incolit) annales & monumenta cano,  
 Quæ fuerit cujusque loci gentialis origo,  
 Quæ fortuna satis digna, quis ordo Patrum?  
 Quis fuerit cujusque domus fundator & author?  
 Quis sibi legerit in quòque sepulchra loco?  
 Cæsarei quibus atque locis Proceresque Ducesque,  
 Et veterum Regum pignora chara cubent?  
 Hæc si quis reprehensor inania forsitan esse  
 Vociferabitur, is non sciat esse novum,  
 Describi pia templa, scholas, arasque Deorum  
 Aut etiam veterum condita busta Virum.  
 Fecit idem veterum vatium labor: obvia suntque  
 Exempla omnibus, in vix numeranda libris.  
 Prætereo, quòd sacra refert tot templa, tot aras  
 Pagina, quas veteres excoluere Patres.  
 Unum illud spectemus ibi, Salomonis ut ædem  
 Describat graphicè Spiritus ipse Dei,  
 Per priscum quondam Mosen reliquosque loquutus;  
 Quorum admiramur nos monumenta, patres.  
 Si veteres igitur vates, sacri atque prophani  
 Sunt ausi sacras sic celebrare domos:  
 Ut quis eas & fecerit & donaverit olim,  
 Insigni studio sollicitèque canant:  
 Sæpe patres etiam subjungant ordine, per quos  
 Fata Deusque ipsas has voluere regi:  
 Quid nî nos etiam studeamus scire, quis illa  
 Omnia condiderit maxima templa Deo?  
 Quorum copia talis inest regionibus, in quas  
 Clementis posuit nos pia cura Dei.  
 Hinc, qualis fuerit pietas majoribus olim,  
 Quantus in his fuerit religionis amor;

Quantus



Quantus in orbe Deitimos (ille est namque tot author  
 Templorum primus) quanta cupido poli;  
 Quantus amor disciplinae morumque bonorum  
 Extiterit; tanquam in luce videre licet,  
 Fit vero ex istis monumentis clarior ipsa  
 Historia, in nostrum quae jacet usque diem:  
 Quae, fatis excultis pulchre omnibus artibus, istam  
 (Qua clarent alia) sola requirit opem.  
 Obriceo, quam sit jucundum ac dulce, videre  
 Erecta in variis tot monumenta locis,  
 Tot legere antiquosque viros Comitesque Ducesque,  
 Innotescere qui sic volvere Tibi.  
 Et sibi saxa crexerunt, hanc scilicet unam  
 Ob causam, ut possent rursus aliquando legi.  
 Deficientibus utque ipsorum morte vetultis  
 Stirpibus, ipsa tamen fama maneret adhuc:  
 Testaretur, & hos etiam vixisse aliquando,  
 Quorum corpora nunc pulvis & umbra forent.  
 Unde animis & nos moniti minus esse feroces  
 Vellemus versis, & magis esse boni.  
 Si peregrinari jucundum est atque videre  
 Saepe in diversis saxa vetusta locis:  
 Admirabundi ceu saepius illa videmus  
 Inque pugillares ponimus inde libros,  
 Quid ni dulce sit & jucundum eadem omnia scriptis  
 Mandata & legere, & saepe videre domi,  
 Oppressi curis gravioribus ocia quando  
 Quærimus, & requiem, pectora quae aegra levet.  
 Verum & virtutum & vitiorum exempla videre  
 In reliquis scriptis utile ut esse solet:  
 Quid ni etiam hic esset? Nam non ita cuncta probamus,  
 Quin mala saepius & prava notemus ibi.  
 Si quid habet rectum, dignumque Monastica laude  
 Vita, quis id duro carpere dente velit?

Primus in  
 orbe Deas  
 facit Timor

Si quid

Paulus

Chronologia  
 Monasteria  
 sua Gemma  
 S. III



Si quid rursus habet praviq̄ue maliq̄ue, quis istud  
 Laude probare aliqua vel celebrare velit?  
 Candida non trepida dicamus candida voce:  
 Atra etiam intrepida mente vocemus ita.  
 Hæc verò ut celebrarem: est author & ipsa vetustas  
 Sæpè mihi in medijs obvia facta viis.  
 Dum varias gentes, terras urbesq̄ue peragro  
 Et lego diversis saxa notata locis.  
 Sæpè mihi dixit: Tu jam legis ista, sed hostis  
 Quid si aliquis veniet mox, nihil illa probans?  
 Is me comminuet, monumenta q̄ue talia franget:  
 Pluribus ut miles fecit id ante locis.  
 Tu monumentorum ( ut video ) studiosus eorum  
 In certos posses colligere illa libros,  
 Ut templis olim vastatis & monumentis  
 Sublatis, possent sic tamen illa legi,  
 Ac si saxa forent oculis præsentia vestris:  
 Ergo age, fac aliquid, quod mea damna levet.  
 Ipsa tuum ratione etiam hac super æthera nomen  
 Ad ferosq̄ue annos non malè grata feram.  
 Ah sine, ut ista tuam subeat miseratio mentem,  
 Ne peream miseris tota aliquando modis.  
 Talia sæpè loqui visa est mihi sacra Vetustas,  
 Cujus amans nunquam non cupidusq̄ue fui.  
 Talibus ejusdem motus victusq̄ue querelis  
 Non potui merita hæc parva negare Deæ.  
 Vobis verò librum hunc illustres dedico Reges  
 Atq̄ue Duces: vobis hæc monumenta fero,  
 Ut reduces Patribus velut excipiamini ab ipsis  
 Omnibus, in gremio quos fovet istud opus.  
 Officioso ut in adventu est Germania vestro,  
 Lætaq̄ue nunc Vobis obvia tōta ruit:  
 Sic qui præcessere olim Regesq̄ue Ducesq̄ue  
 Vos hoc Germano maximo in Imperio,



Quin & Doctores veteres populiq̄ue Patresq̄ue,  
 Quorum habet iste meus nomina resq̄ue liber,  
 Elysi ex animo gaudent per florida campi  
 Rura, huc incolumes Vos rediisse Duces:  
 Vos inquam, quibus hæc debentur maxima regna,  
 Deberi quibus hæc ipsa & Olympus ait.  
 Inferior fuit hæc mea qualiscunq̄ue Thalia,  
 Quæ vos excipere est versibus ausa suis.  
 Ergò tot Imperii proceres audite parati  
 Et tot Doctores Pontificesq̄ue meos,  
 Qui vestris regnis felicia cuncta precantur,  
 Vosq̄ue volent votis sæpè juvare suis.  
 Vivite semidei fratres: Tu Maxime Regum  
 Emiliane, domus maxima fama Tuz.  
 Et tu Patris habes magni qui nomen, & ipsum  
 Nomine ut, ingenii sic bonitate refers,  
 Vivite felices fortunatiq̄ue. Deorum  
 Nobilis ô sanguis. nobilis atq̄ue decor.  
 Vivite: Vos Oriens, Occasus & Auster & Arctos  
 Indubitanter ament & reverenter ament,  
 Ac si forsan adhuc est quædam incognita nobis  
 Tellus, hæc etiam vos amet atq̄ue colat.

In ipso Solstitio Hiberno, Anni à nata Salute æterna 1570.

*In Librum Monasteriorum Germania, Poeta Caspa-  
 ris Bruschi, Epigramma Doctoris Achilli P. Cassari,  
 Lindaviensis.*

Moribus antiquis & majorum pietate  
 Cum nequeat mundus splendidiora dare:  
 Mirum, quare homines teneantur amore novarum  
 Rerum: nec quod avis gratum erat; illud ament.  
 Hinc sine judicio fit, quod Germania passim  
 Per præceps ruat hoc in nova cæca die.  
 At veterum si quis Monumenta vetusta virorum  
 Aut pietatem omnem cernere forte cupit,

)()()()

Bruschii

Chronolog  
 Monasterio  
 in Germania  
 S. III



Seu sacras ædes, Monachorum amplissima regna,  
 Virgineos catus, Potificumque domos:  
 Sive Scholas doctas, sanctasve artes, studiumque:  
 Ut consent certò tempore quæque suo.  
 En celebris Vates nunc dat tibi Bruschius, horum  
 Quicquid præcelsi Teutonius orbis habet.  
 Hæc ubi habent Christum & veram hujus cognitionem,  
 Possunt laudari, cætera turba peri.  
 Sed quia sunt cuncta hæc animo conscripta fideli,  
 Suscipe gratanter, lector amice, librum.

*XISTI Betuleii Augustani in Gasparis Bruschii  
 Monumenta, Phaleucium.*

Musæ Pierides, favore vestro  
 Musæ Castalides, favete capris  
 Tam pulchris. Monumenta sunt vetusta  
 Quæ multis studiis laboribusque  
 Vester Bruschius ille Vates atque  
 Cultor, Castaliis jugis oberrans  
 Collegit, vagus hinc & inde blattis  
 Infestus. Vario Minister ille  
 Vester Bruschius insidens labori,  
 Vestris præsidis reliquit istud  
 Tam cultum, nitidum, positum & amplum  
 Tam splendens opus è vetustiori  
 Depromptum, monumenta nempe, seculo.

Non sunt sine nomine ista vestro:  
 Est vestrum hoc opus, illius labores  
 Digno sunt merito pares honore.

Te *κλειώ* pius & disertus ille  
 Mystes rite, colit, pie & diserte.  
 Præ Musis reliquis fidelis, atque  
 Magnos promeruit Poëta honores:  
 Est dignus vario Poëta honore,  
 Huic *κλειώ κλέος* addito fideli,  
 Dignum quod meritis fiet, Poëta.  
 Quod si Bruschius hic tuus minister

Gratam



Gratam Principibus viris opellam  
 Condet: quæ numeris cani merentur;  
 Condet: quas meruere forte laudes  
 Gestis egregie viti potentes,  
 Quare, Pierides, favete Vati,  
 KXIIII magnifico fave Poëta.

*Sebastianus Glaserus, Hennebergensium Prin-  
 cipum Secretarius, ad Lectorem.*

Quisquis ades doctique vides monumenta laboris  
 Et pia, sed prisca temporis acta legis:  
 Ingenium authoris merito digneris honore,  
 Et doctum grata sulcipe mente librum.  
 Bruschi ingenio clarus, nullique secundus  
 Arte, tibi tantum prodidit author opus,  
 Non ortus hic Myrmidonum, non bella Gigantum,  
 Nec Paphia Phæbo prodita furta Deæ:  
 Non patris incestum Cyniræ, non impia Myrrha  
 Ausa, nec aurato furta sub imbre leges:  
 Non Cephali conjunx celo interfecta mariti,  
 Non Niobe natis hic habet orba locum;  
 Sed monumenta leges annalibus eruta prisca:  
 Quicquid & antiquum Teutonum ora tenet.  
 Quæ Pietas prisca, quod religionis alenda  
 Extiterit studium, te liber iste docet.  
 Quem pie si lector forsan scrutabere, dices,  
 Temporibus nostris hei mihi censor abest.  
 Hei mihi, quam pauci sequimur vestigia Patrum?  
 Quam paucis rebus debitus usus adest.  
 Quasque Deo donavit opes veneranda Vetustas  
 Hei mihi, nunc ventri turba prophana dicat,  
 Talia si tacite tecum meditabere, Lector,  
 Fallor, an hæc mecum vota precesque feres.  
 CHRISTE senescenti da finem quasumus orbi,  
 Da nobis Regni gaudia vera tui.  
 Aut sua si nondum sunt ultima tempora mundo,  
 Si nondum lasi terminus orbis adest:

)(())( 2

Da

Bruschi

Chronolog  
 Monasterio  
 nua Germa  
 S. III



Da faltem (petimus) melioris tempora seclī,  
 Non homines inter floreat omne scelus,  
 Auspiciis, Deus alme, tuis pietasque fidesque  
 Floreat, & sanctum nomen in orbe tuum.  
 Munere quisque suo, fungamur: pectora sancto  
 Afflatus flagrent numine nostra tui.]

*Georgius Latus, Voitlandus.*

Quæque suos regio præstantes laude Poetas,  
 Historiæ gnaros dat Sophiæque viros:  
 Sola parit paucos celebris Voytlandia Vates,  
 At quos fert, titulo nobiliore beat.  
 Nullus ego, fateor, sum: nam mihi parva liquoris  
 Castali doctæ dona dedere deæ.  
 Jure igitur lateo, Meus at nunc Bruschius ut Sol  
 Aureus in medio stat radiatque polo.  
 Bruschius Egranis excellens natus in oris,  
 Hic ubi Piniferi sunt juga celsa soli.  
 Piniferi Montis tractus mihi patria & illi est,  
 Qui pollet stricto & liberiore stilo.  
 Ille lares celebrat patrios graviore cothurno:  
 Ingens & patriam sic celebrando decus.  
 Multos dant aliæ regiones fortè Poetas,  
 Præ multis nobis Bruschius unus erit.  
 Hunc ornant Musæ, simul experientia, virtus:  
 Testatur solus, quod satis, iste liber.  
 O labor, ô studium felixque industria, per quam  
 Extabunt veteris tot monumenta rei,  
 Gratificare iccirco & dignis laudibus effer  
 Authorem tanti, lector amæne, libri.

Fiechel-  
 berg.

*Ad D. Gasparem Bruschium, Poëtam Laurea-  
 tum, familiarem suum: Andrea Dietheri Augu-  
 stani Jambicum.*

Is maximè excellere videtur gloria,  
 Bruschi Poëta doctissime, qui patriam

Studet



Studet genusque ornare plurimis suum  
 Virtutibus: qui istuc ipsum notissima  
 Virtute præstare eruditionis, &  
 Acumine ingenii pergis quam sedulo.  
 Haud dignitas quamvis semper iudex fiet  
 Iniquus, hinc verere partam Lauream  
 Amplissimis honoribus, laudabilis  
 Exercere vires in te: reputando bonum  
 Et eruditum semper doctis & bonis  
 Viris probari. Tum quoque posteri sciant  
 Artes eas, quarum adjumento plurimum  
 Antiquitates istas, non sine maximis  
 Laboribus, de plurimis authoribus  
 Collegeris; tibi à prima pueritia  
 Esse elaboratas studio perimpigro:  
 Imitentur utque industriam tempore tuam,  
 Ut se laturos fructum studiorum parem  
 Omnino confidant. Quare, doctissime  
 Bruschi, precor, pergas ut felicissime  
 Musis tuis prodesse nobis; & tua  
 Ut floreat sine intermissione, nec  
 Amittat unquam viriditatem Laurea.

*David Pfeifferus Lipsius Poëta  
 Laureatus.*

Hereuleos mendax abscondat fama labores;  
 Nec taurum jactet, nec Diomedis equos;  
 Disimulent vates immania facta Gigantum,  
 Qui montes summis imposuere jugis.  
 Atlantis taceant sudores carmina, cælum  
 Quem perhibent humeris sustinuisse suis.  
 Magnaque doctiloqui Bruschi monumenta loquantur,  
 Jactent præ reliquis omnibus istud opus.  
 Nam prius obscurâ quæ condita nocte jacebant,  
 Erexit scriptis omnia claustra suis.

Bruschi

Chronologia  
 Monasterio  
 in Germania  
 S. III



*In Clarissimi Poëta Laureati Comitisq̄ Palatini,  
D. Gasparis Bruschi Egrani, Opus Monasticum, Gaspar  
Rudolphus, Lemburgensis Silesius.*

Scilicet est aliquis, cui sunt quoque tempora curæ,

Scilicet ille aliquis Bruschius esse potest,

Bruschius, Aonidum celeberrima fama fororum,

Candida cui Lauri tempora cingit honos,

Cui favet, omnis agit quemcunque furoribus haustis

Delius, & notum versibus esse facit,

Ille unus, magno rerum turbante tumultu

Ingenio condit divite majus opus:

Tale opus, Abbatum quo vivent nomina cuncta,

Et poterunt omni posteritate legi.

Ille lares prima deducit origine sacros

Et fundatores, quot fuerintque, refert:

Quod fuerintque Scholæ aut fuerint exempla scholarum

Et doctis tantum tecta habitata viris,

Ære novo verè sculpsit, tabulisque notavit

Historiam, & serie cuncta novata dedit,

Gaudete Abbates, gaudete ô nomina sacra

Pontifices, vestra hoc sæcula Vate cani,

Quo nil candidius tulit antiquissimus Ægræ

Accola Natiscus, Piniferumque caput.

Demite de magno, Vati quod detis, acervo

Et vestra ingenium dote levate virum,

Hei mihi, quas urbes patriæ peragravit & oras?

Quæ mala confectis pertulit ille viis?

Quos fecit sumtus? quas insuper ipse repulsas

Sæpè tulit, rogitans illa vel illa super?

Ah quotus est, cupiat similes qui sponte labores

Suscipere, aut cupiat si tamen, ipse queat?

Qui velit ingenio Monachorum cœpta, domosque

Muneraque & vitas supposuisse suo?

Ergo agite effusum hunc ne vos finite esse laborem,

Quos celebrat scriptis ille Poëta suis.



Et date, quo norit vobis sua cœpta placere,  
Præmia Proposito, præmia digna viro.  
Forſitan auxilio hoc orſa ad meliora feretur,  
Veſtraque ei præſens munera calcar erunt.

*Nobili Viro D. Gulielmo Giengero,  
Regio Cubiculario: S.*

Dum tota applaudit Germania MAXMILIANO,  
Urbsque Auguſta ſuo eſt officioſa duci,  
Quem rediſſe ſibi Heſperiiſ ita gaudet ab oris,  
Ut nato mater gaudet honeſta probo,  
Incolumi redit iſ, ſi quando corpore ſalvus  
Externa ad patrios è regione lares,  
Dum Regni proceres inquam Dominiſque triumphant,  
Excipiuntque ducem turba parata ſuum:  
Nos etiam reduci gratamur carmine ſacro,  
Excipimusque aliqua parte favoris eum:  
Quo ducẽ non alius Germano eſt charior orbi,  
Quem certatim omnis virque puerque colit.  
Hoc cupimus carmen perferri MAXMILIANI  
Regis ad Auguſti & principis ora tui,  
Te ſacris verò Muſis, Gulielme, favere  
Accipimus, noſtris hiſ ſtudiisque piis,  
Heroum quibus & laudes cantari, & eorum  
Nomina transmitti ad poſtera ſecla ſolent.  
Carminis ergò mei iſtius quoque ſuſcipe curam,  
Qui fautor Clarii diceris eſſe chori.  
Idque pio Regi commendans MAXMILIANO  
Eloquioque tuo præſidioque juva,  
Promiſit mihi de Te multa Georgius heros,  
Ille Giengeræ gloria ſumma domus,  
Germanus frater tuus, ò Gulielme, ſacraſi  
Quem Regis magnum numen ut aula colit.  
Ille Tuum mihi pollicitus ſtadium atque favorem eſt,  
Cum conveniſſem hoc nomine nuper eum.  
Ille Tibi ingenium tribuit moresque benignos,  
Et te Muſarum prædicat eſſe Patrem.

Ergò  
Doct̃or Ge-  
orgi⁹ Gieng-  
ger, Regiæ  
Rom. Ma-  
jeſt. Conſi-  
liarius &  
Norici  
præſes.

Briefschij

Chronolog  
Monasterio  
nisi Germa  
S. III



¶ (o) ¶

Ergo patrocínio nostrum hoc quoque suscipe carmen,  
Quique juvas multos, me quoque quaeso, juva,  
Sic faveant Tibi non summius pectora tantum  
Imperii Regum magnanimūque ducum:  
Sed faveant etiam caelestia templa regentes  
Di tibi: mortalis quia etiam omnis homo,  
Nos equidem, qui pars Heliconis dicimur esse,  
Ingenno noti pectore ad usque Deos,  
Te memori Vates nunquam non laude canemus  
Pro pietate tua, hoc officioque. Vale.

BRUSCHIUS.

